


M. l. 286^a
nicht verheiratet
nicht PK

1) Rinowius, Joh.

nebst 21 - 40)

(No. 31 enthält
allein 20 Dissertationen)

2 mit Widmungen
an Ludolph



THESES

DE FLVMINVM ORTV,
EX LIBRO PRIMO METEORO-
LOGICORVM ARISTOTELIS IN
Academia Argentoratensi ad
disputandum propositæ:

Præside

IOANNE LVDOVICO HAVV-
ENRETERO. D.

Respondente

M. C. 286

NICOLAO AGERIO ARGEN-
toratensi Philosophiæ Candidato.
VI Septembris Hora VII.



Argentorati Typis Carolj Kiefferj. Anno.
M. D. LXXXIX.

D. DOCTORI VLRICO CHE-
LIO REIPVB. ARGENTINENSIS
PHYSICO ORDINARIO

Eiusdemq̃

GENERO D. DOCTORI IOAN.
SEBASTIANO FRIDT.

Viris clarissimis:
Philosophis doctissimis:
Medicis experientissimis:
Dominis ac fautoribus suis summo
studio perpetuaq̃ obseruantia colendis.

Hæc Progymnasmata Physica
Gratitudinis symbolum,
Debitæ obseruantia monumen-
tum Respondens
D. D. D.

DE FLVMINVM ORTV.

THESIS I.

Posteaquam Aristoteles de *AQVEIS* Meteoris disseruit: de *VENTIS* & omni flatus genere, & praeterea de *FLVMINIBVS* & *MARI* docet, vt prius de his disputet, aliorumq; perpendat opiniones.

II.

Nam de harum rerum natura & causis ab antiquis nihil est traditum, nisi quod quiuvis ex plebe diceret.

III.

Sic enim de *VENTIS* Alij dixerunt Aërem cum pellitur ac fluit Ventum esse: eundem cum stat & cogitur Nubem & pluuiam fieri. quasi eadem sit natura pluuiæ & venti, & ventus sit aëris motio.

IIII.

Alij eorum qui sapienter loqui volunt, omnes ventos vnum ventum esse dicunt: cum aër omnis vnus idemq; esse videatur: nec specie, sed per accidens tantum, ratione locorum ex quibus spirant inter se differre.

V.

Quæ opinio similis est, ac si quis omnes fluuios, vnum flumen esse, siquidem ex aqua omnes constant: & locis tantum discriminari diceret.

VI.

Qua in parte verior est vulgi sententia, qui sine ratione & disputatione simpliciter ventum aërem motum esse putantes aberrant: quam qui disputatione adhibita, & ita censent, & præterea omnes ventos vnum esse asserunt.

VII.

Si enim fluuij ex uno principio cuncti fluerēt fortassis aliquid dicerent, qui similiter omnes ventos ex eodem principio esse ponunt.

VIII.

Sed quia fluuiorum & ventorum ortus eandem rationem esse volunt: & fluuiorum non idem principium esse patet: dubium minime est, quin nec omnium ventorum idem sit principium: & falsa sit illorum tam compta oratio de vno vento.

IX.

Ex ea tamen hoc vtilitatis percipitur, vt occasione nobis det inuestigandi Quid sit ventus: & Quemadmodū oriatur: Quidq; sit quod eos moueat, & vnde eorū principium ducatur.

X.

Nonnulli enim sunt alij, qui quasi ex vase ventum fluere existimant, & eatenus flare, quoad vas inane reddatur, tanquam ex vesicis emittatur. quæ Poetarum fuit opinio: eamq; pictores etiā sequuntur, qui ventos depingunt, vt ex se principium flandi proferant.

XI. De

XI.

De ventis autem ALIO agetur tempore: & hoc tantum in loco commemorata illa sunt, quod eandem Quidam in ventis & FLUVIIS rationem esse existimarunt.

XII.

Nam fluuios aquam à Sole in superiorè locum sublatam, & rursus cùm pluitur sub terra collectam putarunt: tanquam ex magno alueo & quasi ventre, vel ex vno vniuersi, vel alius ex alio fluat: & nulla aqua generetur, quæ fluuios efficiat: Sed ex ea aqua quæ hybernis tēporibus in huiusmodi conceptacula congregata sit, multitudo fluminum effluat.

XIII.

Hanc autem suam opinionem his signis confirmarunt: PRIMO quod maiora semper hyeme, quando frequentiores & ampliores sunt imbres, quàm æstate flumina fluere & labi soleant.

XIIII.

DEINDE quoniam alij fluuij perennes, alij non perennes sunt.

XV.

Quorum enim fluuiorum pro aluei magnitudine tam magna vis aquæ collecta est, quæ sufficiat, nec antè consumatur, quā imber hyeme redeat, eos perennes & iuges esse opinantur.

XVI.

Quorum autem minora sunt receptacula, eos propter aquæ

paucitatē prius exinanito exhaustoq; vase exarescere, quā
è cœlo aqua defluat.

XVII.

At quod rejcienda hæc sit opinio, nulli dubium est, qui a-
nimo & cogitatione depingere quasi velit receptaculū quod-
dam aquæ quotidie continenter labentis, & vim ac copiam
illius aquæ considerare.

XVIII.

Inueniet enim vniuersæ aquæ anno fluentis receptaculū,
aut totā terræ molem superaturū, aut certè parum abfuturum.

XIX.

Etiam si autē multa eiusmodi in diuersis terræ locis aquæ
reperiantur receptacula: tanta tamen ea esse, vt toto anno flu-
entis aquæ copiam recipiāt: nec ex eadē causa in terra aquam
oriri, ex qua super terram & in aëre oritur, existimare absur-
dum est.

XX.

Nos enim hunc fluuiorum ORTVM esse asserimus. quod
Quemadmodum frigoribus aër vapidus in aquā cogitur: Sic
ab eo etiam frigore quod in terra latet, vapor & aër in ea in-
clusus in aquam concreascit: vt fluuij, non ex ea solum aqua,
quæ ex pluuijs secreta, & certo in loco seruata est: Verum
etiam ex ea, quæ cōtinenter ex aëre & vapore intra terram
refrigerato nascitur, existant.

XXI.

Nam licet sub terra stagna quædam manantia esse ponan-
tur, ex

tur, ex quibus aqua in rerum natura existens effluat: non tamen ea primum sunt fluuiorum principium.

XXII.

Sed quemadmodum supra terram exiguis guttis coherentibus, & rursus iisdem cum alijs coeuntibus, ingens aquae pluuiae copia decidit. Sic etiam in terra vapor & aer refrigeratus ex paruis primum guttis confluit, quae in vnum terrae locum collectae, fluuiorum sunt principium.

XXIII.

Quae ita esse confirmat PRIMVM, quod ij qui aqueductus & puteos construunt, scrobibus fossisque, aquam colligunt, vt ab excelsis locis aquam quasi sudet terra, non in se collectam effundat.

XXIIII.

SECUNDO quod colluiones amnium ex montibus manare videntur, plurimisque & maximi fluuii ab altissimis montibus fluunt.

XXV.

TVM quod fontes montibus, editisque locis sunt proximi: in campis autem patentibus sine fluminibus omnino pauci oriuntur.

XXVI.

Montosa enim & alta loca, quasi spogia suspensa & prominentia, paulatim illa quidem, sed tamen multis locis aquam in se colligunt, & ex se fundunt.

XXVII.

XXVII.

Propter MAGNITVDINEM namq; magnam aquæ deflu-
entis vim & copiam excipiunt: propter DENSITATEM au-
tem vaporem qui ex aquis excitatur refrigerant, rursusq; in
aquam cogunt.

XXVIII.

Nihilq; interest concauus ne sit ac supinus, an pronus &
contortus montium ambitus: cum vtroq; modo parem aquæ
molem complectatur: illo quidem vt vas, hoc verò ceu spon-
gia excipiens.

XXIX.

Quod autem maximus & amplissimus quisque fluuius ex
altissimis montibus erumpat: id PRIMO testantur ij, qui ter-
ræ ambitum peregrinationibus perspectū & cognitū habent.

XXX.

DEINDE Geographi qui eum ita descripserūt, vt quæ re-
censent, non quidem ipsi conspexerint semper: ab alijs tamen
didicerint.

XXXI.

Hi terrarum orbem in TRES diuidunt partes, Asiam,
Europam & Aphricam: atque in ASIA quidem ex eo mon-
te qui PAROPAMISVS vocatur, & plurimos & maximos
fluuios labi tradunt.

XXXII.

Hunc autem montem consensu omnium altissimum esse
constat,

constat, eorum omnium qui ad ortum hybernum pertinent: cū
si quis cacumen eius superauerit, inde mare exterum videat:
cuius terminus ignotus est ijs, qui citrà & Græciam incolūt,
etiamsi in altissimos suos montes ascendunt.

XXXIII.

Ex hoc ergo monte cum alij fluuij, tum Choaspes & Aras
xes Persidis, & Bactrus & Iaxartes Scythiæ fluuius deflu-
it, cuius fluuij pars Tanais ab Alexandri exercitu appellata
fuit, eius fluuij nomine, qui in Mæotim lacum influit. Indus
quoq; omnium fluuiorum maximus ex eodem labitur.

XXXIIII.

EX CAUCASO autem cum alia permulta, & altitudine &
magnitudine incredibili fluunt, tum PHASIS Colchidis flu-
men: cum hic mons altissimus sit eorum qui ad æstiuum ori-
entem spectant.

XXXV.

Nam magnitudo eius PRIMO hinc intelligitur, quod &
ex eis locis Ponti quæ Bathea id est profunda vocantur, &
ab ijs qui in lacum Mæotidis nauigant cernitur.

XXXVI.

SECUNDO quod noctu cacumini eius Sol collucet vsq; ad
tertiam noctis partem, tam manè quàm vespere.

XXXVII.

Amplitudo verò eiusdem quanta sit, perspici licet ex mul-
tis jugis quæ habet, in quibus & multi populi habitant, &

B

multos lacus esse ferunt. qui tamen omnes ad summum vsque cacumen conspiciuntur: quod non fieret, si angusto contineretur ambitu.

XXXVIII.

In EUROPA montes sunt PYRENÆI, quorū alter in Gallia ad occasum est Æquinoctialem, ex quo Tartesus fluvius, qui vltra columnas Herculis effluit: alter ad ortum Brumalem veteribus sic vocatus, Germanicè Brygen vel Bor, dicitur, ex quo Danubius defluit, qui cunctam Europam alluit, & tandem in Pontum Euxinum influit.

XXXIX.

In eadem ad Septentriones plurima alia flumina manant ab Hercynijs montibus, qui eo in loco montes sunt & altissimi & amplissimi.

XL.

Sub ipsis porrò Septentrionibus vltra extremam Scythiam montes sunt, qui Riphæi vocantur, de quorum quidem magnitudine admodum commentitia commemorantur: attamen ex ijs & plurimi & maximi secundum Danubium alij fluij defluere dicuntur.

XLI.

In AFRICA deniq; ab Æthiopia montibus originem ducunt Ægon & Nises: quiq; maximi sunt inter celebres Africæ fluios, vt Chremetes qui in Oceanum influit, & Nilus, cuius cognitum principium à monte qui Argyrus dicitur, ortum habent.

XLII.

XLII.

Sed ne externa tantum conquirere videatur Aristoteles, in patria sua & Græcia eandem rationem esse monstrat: Verbi gratia Achelous & Inachus ex Pindo: Strymon, Nestus & Hæbrus ex Sombro oriuntur: ut ex Rhodope Thraciæ monte multa quoque flumina descendunt.

XLIII.

Non secus ac apud nos quoque in Germania Rhenus ex Alpibus, Mosella ex Vogeso, Mænus & Albis ex Pini-fero: & ex alijs montibus alij fluij oriuntur.

XLIII.

Exempli enim solum causa hos enumerauimus, cum simili ratione cæteros quoque cunctos amnes defluere reperiatur.

XLV.

Nam licet ex paludibus quoque flumina quædam fluant: paludes tamen istæ omnes montibus subiectæ sunt: aut in locis molliter assurgentibus inueniuntur: ut aqua in montibus generata in eas confluat, & rursus ex ipsis effluat.

XLVI.

Ex quibus perspicuum est, non esse cum alijs de FLUVIORVM Generatione putandum, quod ex definitis certisque alueis orientur & effluant.

XLVII.

Nam neque terra ipsa satis magna esset, ad tantam aquarum

B ij

*copiam complexu suo continendam, si eam modò aquam quæ
esset in rerum natura, fluere oporteret, non alia efflueret, alia
gigneretur.*

XLVIII.

*Neque nubium ea est magnitudo, vt vno tempore tãtam
aquarum vim contineant, à qua dum iterum pluit, semper ali-
quid depromatur.*

XLIX.

*Imò initia fluminum & fontes propterea sub montibus siti
sunt: vt dum aliquantum aquæ ex magna humorum vi sen-
sim ac paulatim confluit, totũq; locus ille excipit, & ex se po-
stea effundit, fluuiorum inde fons & principium ducatur.*

L.

*Non enim absurdum est affirmare, loca quædam sub terra
esse, quæ tantã aquarum copiam in se contineant, quantam la-
cus & stagna extra terram, & ex ijs fluminibus materiã sup-
peditari. Sed ineptum est putare stagna illa eam complecti
aquæ multitudinem, quæ sine nouæ aquæ generatione, fluui-
orum perennitati sufficiat.*

LI.

*Sicut namq; fontes, ex quibus flumina manare cernuntur,
non omnem fluuii aquam comprehendunt: ita nec absconditi
omnem complectuntur: siquidem nihil refert, conspicuos ne
an occultos fontes, vniuersæ fluminis aquæ principium esse a-
liquis existimet.*

LII.

LII.

Nam tales occultatas terræ fauces & concauitates esse, omnes qui sese sub terras condunt fluuij declarant.

LIII.

PRIMO enim pleraq; Peloponnesi loca in ARCADIA sunt eiusmodi, vt in ijs fluuij abscondantur: propterea quod Arcadia montibus scateat, & fluuij fluxum ex alueis in mare non habeant.

LIIII.

Amnes enim pleni, qui locum in quem effundantur nō habent, exitum sibi in profundo inueniunt; vi aquæ quæ ex superiore loco magno impetu defluit. quod minimè fieret, nisi concaua intra terram loca essent.

LV.

In HELLADE autem & antiqua Græcia, quæ tot montes non habet, pauci huiusmodi fluuij à terra quasi absorpti reperiuntur.

LVI.

DEINDE monti CAUCASO lacus subiectus est, quem mare Hyrcanum seu Caspium accolæ vocant, qui multis & magnis fluuijs influentibus, nihil habet obuium & apertum, quo effundatur: sed sub terram se recipit, ac demum iuxta Coraxos è terra emergit, non procul ab eo loco, qui Bathea id est profunda Ponti dicitur. quæ sunt immensa maris altitudo, cuius nemo vnquam qui funem demisisset, terminum fundumq; inuenire potuit.

LVII.

Hic autem Hyrcani maris aquam emitti inde colligitur, quod procul à terra circiter ferè trecenta stadia, longo intervallo, non tamen perpetuo, sed tribus locis dulcis aqua in profundis illis redditur.

LVIII.

TERTIO in Liguria PADVS non minor Rhodano, qui nauigabilis est fluuius, exarescit, ac rursus alio in loco erumpit. Idemq; in alijs fit fluminibus, vt Plinius lib. 2. cap. 103. recenset.

LIX.

Etsi verò aër & vapor intra terram quotidie refrigeratur: non tamen semper eadem terræ loca humida aut arida sunt, sed pro annium ortu interituq; mutantur: ita vt & ea quæ continenti, & quæ mari finitima sunt mutantur: nec semper illa terra, hæc mare permaneant: sed mare in eum locum effundatur, in quo terra erat: & ubi nunc mare est, rursus ibi terra cernatur.

LX.

At hæc non temerè: verùm ordine quodam & certo circuitu fieri existimandum est, tum ob Generalem tum Specialem causam.

LXI.

PRIMO enim Quemadmodum animantium & plantarum corpora: sic etiam intimæ terræ partes iuuentutem & senectutem habent. Hoc tamen discrimine, quod animantes & plantas non per partes, sed simul omne eorum corpus vigere & senescere

et senescere necesse est: terra verò non simul tota, sed per partes iuuenescit et senescit.

LXII.

SECUNDO Quemadmodum plantæ et animantes vi caloris in iuuetute, et frigoris in senectute sunt præditæ, iisq; mutantur: atq; hæ mutationis causæ à Solis cæterarumq; stellarum motione et cõuersione existunt: ita terræ quoq; partibus vi frigoris calorisq; euenit vt augeantur et decrescant: eaq; vis à Solis cæterorumq; astrorum conuersione causas accipit.

LXIII.

TERTIO sicut animantes et stirpes cum vigent humore abundant, cum senescunt eo destituuntur: ita terræ quoq; partes vigentes humore præditæ sunt, et ad aliquod vsq; tempus humidæ permanere possunt: senescentes autem exsiccantur. atq; hæ vicissitudine quadam eueniunt, vt cum quædam terræ loca senescunt et arida efficiuntur, alia reuiuiscant, vicissimq; humorem et aquam recuperent. quæ permutatio in animalibus et plantis non inuenitur.

LXIIII.

SPECIALIS autem causa VNA est, quod fontes fluuiorum obstruantur, vnde flumina interire et loca arida reddi necesse est: ita vt fluuii primùm quidem ex magnis parui efficiantur necessario, deinde ad extremum exarescant.

LXV.

Mutata ergò hoc modò fluminum scaturigine, ex alijs locis in alia cursum suum contorquent et deflectunt: indeq; in mari necessario mutatio eonsequitur.

LXVI.

Nam deficientibus & exsiccatis fluuijs, qui in mare fluebant, intra suos se limites id continet nec effunditur: ideoq; pars illa terræ arida efficitur.

LXVII.

Nouis autem fluuijs ortis, & in mare influentibus, id stagnet, & hoc suo accessu loca antea sicca alluat & humectet necesse est.

LXVIII.

Quoniam vero hæc sensim, temporibusq; lōginquis respectu vitæ nostræ quā agimus, in terra ea eueniunt, fieri nos latent: ac prius non singuli solum homines: verum integræ etiā gentes perduntur atq; intereunt, quam horum omnium mutationem à primo ad extremum memoriæ mandare & prodere possimus.

LXIX.

Sicut enim alij gentium interitus in bellis, aut morbis, aut sterilitatibus maximi & celerrimi, alij exigui & paulatim fiunt, atq; inter se magnitudine & paruitate differunt: ita quoq; huiusmodi gentium ob terræ loca mutata migrationes ignorantur, propterea quod alij homines regionem deserant, alij in ea remaneant ad eum finem, dum regio ipsa nullā iam multitudinem alere valeat.

LXX.

A prima igitur migratione ad extremam verisimile est
tam lon-

tam longinquum tempus intercessisse, ut nemo recordetur. imò tum cum etiam salui essent & incolumes ij qui remanserant, eorum memoriam longinquitas temporis deleuerit.

LXXI.

ALTERA causa mutationis locorum terræ est, quod limo vel arena aluei expleantur, & ripis æquantur, ut alium fluxum querere aquæ cogantur: veluti in stagnis etiam & paludibus accidit, ut spacia eorū limo paulatim compleantur, & palustria atq; aquosa loca tandem omninò exsiccentur.

LXXII.

Vbi eodem modo incertum est, quando primum vnaquæq; natio domicilia & sedes ijs in locis quæ mutata sint ita, ut cum palustria aquaticaq; essent, exaruerint, collocarit.

LXXIII.

Nam in his quoq; rebus pedetentim ac sensim longo temporis spacio progressus fieri solet, ut non extet memoria, quinam primum, & quando venerint, quæq; locorum fuerit temperatio.

LXXIIII.

Quod exemplo ÆGYP TI comprobari potest. qui locus magis semper exsiccatus, & cuncta regio Nili esse alluio videtur. Sed quia pedetentim ac sensim exarescentibus paludibus, homines finitima loca incolere cœperunt, idcirco longinquitas temporis initium obliuione obruit.

LXXV.

Hæc autem in Ægypto vsu venisse monstrare videtur PRIMVM. quod omnia Nili ostia præter vnum Canobicum, quod Menelai tempore fuit, & ab eius classis gubernatore

C

nomen accepit, opera & arte hominum facta, non ipsius fluvij esse videntur.

LXXVI.

DEINDE quod Homerus, qui vicinus illis temporibus inclinationibusq; & quasi suppar fuit, Thebarum solū mentionem facit, tanquam Ægyptus ea vrbs esset, quæ Thebæ dicitur, & Memphis aut non omninò, aut certe non tanta esset.

LXXVII.

TERTIO quod inferiora & decliua illius loca posterius, quam superiora habitari incoliq; cæperunt: cum diutius palustria necessariò sint ea, quæ viciniora sunt alluioni, propterea quod oras potissimum fluvij semper alluant.

LXXVIII.

Has autem Humoris & Siccitatis mutationes consequitur, vt quædam loca in meliorem reuocentur statum, quædam plane sterilia fiant.

LXXIX.

Nam loca palustria quæ exsiccantur, ad bonitatem reuocantur. Quæ autem prius fertilia erāt, nimia siccitate confecta deteriora euadunt, veluti in Græcia in agro Argiuorum & Mycenæorum contigit.

LXXX.

Troicis enim temporibus Argiuorum ager quoniam palustris erat, paucos alere, & octoginta tantū naues suppeditare: Mycenæorum contrā fertilis, ob eamq; rem in maiore honore ac precio erat, & ab Agamemnone gubernabatur, centūque mittebat naues.

LXXXI.

LXXXI.

Aristotelis autem etate contrà erat, ob eam causam quæ cōmemorata est: quia Mycenæorū ager sterilis aridusq; prorsus redditus est: Argiuorum verò agri eæ partes quæ propter colluiones steriles erant minusq; commoda, postea commoda fertilesq; effecta sunt.

LXXXII.

Nec in angustis solum locis mutationes ijs modis, & hæc commoda atq; incōmoda accidunt: sed idem in magnis etiam locis totisq; regionibus contingere existimandum est, cum nulla differentia sit ratio.

LXXXIII.

Horum autem effectuum nonnulli aliam causam adferunt, & ad vniuersi mutationem atq; interitum eam referendam esse putant. quasi cœlum & vniuersum generatum, ideoq; naturali interitu periturum sit.

LXXXIII.

Itaq; Mare decrescere & exsiccari aiunt, quia plura nunc loca mari destituta quàm olim cernantur. quorum vnum verum est. non verum alterum.

LXXXV.

Verum enim est quod complura sint loca, quæ cum prius aquosa essent, nunc exaruerint. Non verum autem, quod nulla loca contra humida reddita sint.

LXXXVI.

Nam si complura inspiciamus loca, mare multis in locis effusum comperiemus, quæ prius arida & exiccata fuerunt.

LXXXVII.

Nec tamen propter paucorum horum terræ locorum respectum, causa in mundi generationem & interitum referenda est.

LXXXVIII.

Ridiculum enim est, ob exiguas breuesq; rerum inclinationes vniuersum mutare: cum magnitudo molesq; terræ nihil sit ad totius cæli ambitum.

LXXXIX.

Sed horum omnium causa existimanda est, quod stata & fato siue naturali ordine determinata sunt tempora, quibus vnumquodq; in statu suo permanet, & quibus mutatur.

XC.

Sicuti enim hyems anniuersarijs spatijs Solis discessu redit: ita magna quædam annorum cōuersione magna hyems, maiorq; imbrium copia existit. quæ tamen non vt anniuersaria hyems iisdem semper in locis euenire solet.

XCI.

Sic ea inundatio quæ Deucalionis temporibus extitisse dicitur, in Græcia maximè, atq; in ea illius parte extitit, quæ vetus Græcia nuncupatur, & ad Dodonem & Acheloum sita est. qui fluius in multa loca cursum suum deflexit atq; mutauit. quæ loca Selli incoluerunt, & ij qui tum Græci, nunc Hellenes vocantur.

XCII.

Ex quo fit, vt cum talis imbriūcopia in magna hyeme sine modo decidit, in multa tempora satis esse, & loca humida conseruare queat.

XCIII.

XCIII.
Ex his omnibus manifestum est, nec ipsorum fluuiorum,
nec eorum perennitatis causam esse cauernarum quæ sub ter-
ra latent magnitudinem, nec defectus earum paruitatem.

XCIII.
Sed vera eorum causa est in excelsorum locorum magni-
tudine, eorumq; et densitate et frigore. qua plurimã aquam et
recipiunt & detinent & gignunt.

XCIV.
Idcirco quibus fluuijs parui mōtes impendentes dati sunt,
in quibus vel spongijs similis raritas, vel saxorum asperitas,
vel argille copia insit, ij citius quàm illi deficiunt.

XCVI.
Sic enim post magnam quoq; illam hyemem, loca sicciora
aquæ excipiendæ & detinendæ minus apta, antè exsiccatur,
quam ij loci qui aquæ copia abundant, & nōnunquam humi-
di manent, quoad eiusdem vicissitudinis ordo reuocetur, &
altera magna hyems redeat.

XCVII.
Ex quibus nullum vniuersi ortum & interitum esse, cum
totum semper quandiu existit, idem permaneat: attamen mu-
tationem quandam in partibus eius sequi ac fieri perspicuum
est: siquidem non eadem semper loca vel humescunt mari &
fluminibus, vel exarescunt, vt euentus & exempla declarāt.

XCVIII.
PRIMO enim ÆGYPTIORVM regio, quos antiquitate
cæteros homines anteire veteres censuerunt, omnis facta &
Nili opus esse videtur: sicuti regionē ipsam cōsideranti manē

festū est: et ex ijs quæ ad mare rubrū sunt, satis intelligi potest.

XCIX.

Hoc enim reges quidā, vt **SESOSTRIS** veterū primus, inde **DARIVS**, factō alueo in Nilum perducere conati sunt: quod totus locus si aptus ad nauigādum factus esset, magnas eis commoditates attulisset. Sed quia mare terra superius esse compererunt, ille primum, hic postea fodere destitit: ne fluminis cursus & aqua admisto mari corrumperetur. Atamen hæc, omnia Ægypti loca vnum mare perpetuū fuisse monstrare videntur.

C

SECUNDO Aphricæ regio **AMMONIA** Iouis oraculo clara depressior & humilior, maioresq; concauitates quàm inferior regio, contra rationem habere videtur.

CI.

Quod euenit, quia limum, aut quippiam eiusmodi aquarū uis intulit, vnde paludes & terra extitit: longinquitate verò tēporis aqua quæ remāserat exhausta est, ac prorsus euanuit.

CII.

TERTIO lacus **MÆOTIS** tantam terræ accessionem inuectu annium fecit, vt multò minoris magnitudinis naues Aristotelis tempore, quàm sexagesimoantē anno quæstus causa in eo nauigarint. Ex quo facile intelligi potuit, & primū quemadmodum multos lacus, sic hunc quoq; fluuiorum opus esse, & ad extremum, si hæc colluuio persistat, totum exhauriri necesse esse.

CIII.

BOSPHORVS deniq; contra maris naturam semper fluit,
quod

quod limo repleatur, & angustior fiat, sicuti oculis etiam videre licet.

CIIII.

Cum enim fluxus ab Asia littus fecisset, tum lacus primo paruus ortus est, deinde exaruit: post littus aliud ex hoc, & lacus secutus est, eademq; ratione semper hoc adhuc Aristotele viuo vsu venit: vt verisimile fuerit progredientibus temporibus fore vt ad formam fluuij perueniat, ad extremum vero exarescat.

CV.

Hinc Aristoteles ex sua de Temporis & Mundi eternitate FALSA opinione concludit. PRIMO quod nec Tanais fluuius, nec Nilus, nec alia flumina semper fluant: sed fuerit aliquando siccus is locus vnde fluunt: & futurum sit aliquando vt desinant, cum eorum opus terminum habeat, tempus autem non habeat.

CVI.

DEINDE cum fluuij generentur & intereant, nec eadem semper terræ loca aquis abundant, quod MARE etiam eadem ratione mutari necesse sit.

CVII.

TERTIO cum Mare alia loca deserat, alia alluat, quod non easdem semper vniuersæ terræ partes mare alluat & teneat, nec aliæ semper continens sint: sed omnes tempore mutantur.

CVIII.

Quæ ARISTOTELIS opinio ea ex parte FALSA est, quod Mundum æternum statuit, & in vniuersa terra hanc maris & continentis vicissitudinem ponit.

CIX:

CIX.

VERA autem, si in partibus tantum terræ huiusmodi mutationes euenire: & quidam amnes vel omnino exarescere, vel minores reddi: flumina quoq; iam alias terræ partes colluuiione arfidas facere, alias sua eflusione humectare: idemq; in maris partibus tū ipsa natura, tum hominū opera fieri dicatur.

CX.

VERVS quoq; est *MODVS* Exsiccationis fluminum & locorum humidorum, tum *OBSTRUCTIONE* fontium, tum *REPLETIONE* alueorum & colluuiione factus.

CXI.

Præterea *EFFECTVS*, quod regiones vel fertiles & habitationi commoda, vel steriles et ad habitadū ineptæ reddantur.

CXII.

Sacris enim hæc literis cōsentiunt: cum Psalmo. 107. v. 33. *MODVS* ille Duplex exsiccationis tradatur: *POSTERIOR* quidem quod *DOMINVS* ponat flumina in desertum: *PRIOR* autem quod exitus aquarum ponat in sitim.

CXIII.


FINIS quoq; exponatur v. 34. quod propter malitiam inhabitantium in terra, & v. 43. misericordias *DOMINI* id fiat.

CXIIII.

EFFECTVS deniq; v. 34. & 35. & seqq. confirmetur, quod posuit terram fructiferam in saliginem: & desertum in stagna aquarum: & terram sine aqua in exitus aquarum: & collocavit ibi esurientes: et constituerūt ciuitatē habitationis.

FINIS.







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

SES
 VM ORTV,
 IO METEORO-
 RISTOTELIS IN
 ntoratensi ad
 proposita:
 de
 VICO HAVV-
 RO. D.
 ente *M 286*
 RIO ARGEN-
 ie Candidato.
 hora VII.
 Kiefferj. Anno.
 XIX.

17